2010 Ministerio de Cultura

ubi forum celebratur, & Robertus *Read* Episcopus peristylium pulchrum è vivo saxo erexit. Castrum autem quod erat haud procul à boreali porta sedes olim fuit Comitum Arundeliæ, qui hinc se Cicestriæ Comites scripsere, postea in Franciscanorum ædes conversum. Quicquid interjacet portam occidentalem & australem Ecclesia Cathedralis, Episcopi palatium, Decani, & Præbendariorum ædes occupant. Quæ circa Regis Richardi Primi tempora iterum combusta. Seffridus secundus ejus nominis Episcopus singula restauravit. Ipsa sane Ecclesia non magna quidem, sed admodum nitida cum præcelsa è saxo pyramide surgit; & in australi ecclesiæ parte ex uno latere artifici manu depingitur historia fundationis Ecclesiæ, cum iconibus Regum Angliæ, ex altero icones omnium Episcoporum tam Selsiensium, quam Cicestrensium sumptu Roberti *Shirburn* Episc. qui admodum ornavit hanc Ecclesiam, & pro symbolo suo ubique adjunxit, CREDITE OPERIBVS &, DILEXI DECOREM DOMVS TVÆ DOMINE. Turris vero illa magna quæ prope occidentalem Ecclesiæ partem eminet, extructa fuit à R. Rimano, ut fertur, cum prohibitus erat castellum ad *Aplederham* habitationem suam in proximo erigere, è saxis quæ ad castellum antea paraverat.

Cicestriæ Comites.

Tem. H. 8.

Selsey illa, Saxonice ðealr-eý, id est, ut Beda interpretatur, *Vitulorum marinorum, sive Phocarum insula* (hos enim nostra lingua *Seales* vocamus, qui semper insulas, & littus petunt, ut fœtum edant) paulo inferius est. *Locus*, ut ait Beda, *undique mari circumdatus præterquam ab occidente, unde habet ingressum amplitudinis quasi jactus fundæ.* Octoginta septem familiarum censebatur, cum Edilwalchius hujus provinciæ Rex Wilfrido Eboracensi antistiti exulanti dedit, qui huic populo Christum primus annuntiavit, *servosque ducentos & quinquaginta*, ut habet ille, *non solum baptisando à servitute dæmoniaca salvavit, sed etiam libertatem donando humanæ jugo servitutis liberavit.* Postea monasterium Cedwalla Rex, qui Edilwalchum devicit, hic fundavit, sedeque Episcopali illustravit, quæ à vicesimo secundo Episcopo Stigando ad Cicestriam translata, nunc ibi floret, & Cedwallam fundatorem agnoscit. In hac Insula, antiquæ urbeculæ, in qua Episcopi illi sederunt, cadaver solummodo jacet, a quis intectum quoties ex alto maris æstus intumescit, cum vero residet, apertum, & conspicuum.

Selsey. Phocæ. Hic cochleæ laudatissimæ.

Servi.

Flumini deinde littus se aperit, quod è S. Leonardi saltu decurrit primum per *Amberley*, ubi castrum successoribus suis Guil. *Read* Episcopus Cicestrensis regnante Edwardo III extruxit, & deinde per *Arundell* situ declivi positum, quod fama quam re majus, nec illa tamen admodum antiqua, ante Ælfredi enim tempora, qui eam Athelmo è fratre nepoti legavit, ne nomen quidem legi. Nisi forte *Portum Adurni* existimem corrupte dici transpositis literis pro *Portus Arundi.* Causa nominis nec ab *Arundell* fabuloso Bevosii equo, nec à Charudo Cimbricæ Chersonesi promontorio, quod Goropius Becanus somniavit, sed à valle, qua ad *Arun* fl. sedet, si modo *Arun* sit flumini nomen, ut aliqui tradiderunt, qui *Aruntinam vallem* inde Latine dixerunt. Fama vero tota est ex castro quod Saxonico imperio floruit, & statim ab ingressu Normannorum Rogerum de *Monte Gomerico* restaurasse legimus, qui inde Arundeliæ Comes dictus. Est enim amplum situ & opere inprimis munitum. Sed hujus filius Robertus de *Belesmo*, qui successit Hugoni fratri, à Rege Henrico Primo proscriptus, eo, reliquisque honoribus excidit. In regem enim perfido animo bellum molitus, hoc castrum in belli sedem elegit, magnisque munitionibus locum firmavit, sed quo seditiosi successu solent. Milites namque regii ex omnibus partibus circumfusi tandem occuparunt. Roberto vero proscripto, & relegato, Rex hoc castrum, & alias ejus possessiones Adelizæ Godfredi Barbati Lovaniensis, Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ filiæ, quam sibi secundis nuptiis junxerat, in dotem dedit. In cujus laudem seculo illo indicto hos non indoctos versus Anglus quidam conscripsit,

Amberley.

Vide Comites Salopiæ.

Anglorum Regina tuos Adeliza decores
Ipsa referre parans, Musa stupore riget.
Quid diadema tibi, pulcherrima quid tibi gemma?
Pallet gemma tibi, nec diadema nitet.
Deme tibi cultus, cultum natura ministrat;
*Non * exornari forma beata potest.*
Ornamenta cave, nec quicquam luminis inde
Accipis, illa micant lumine clara tuo.
Non puduit modicas de magnis dicere laudes,
Nec pudeat dominam te precor esse meam.

Aliis exemplaribus, * meliorari.

Illa, Rege defuncto, Guilielmum de * *Albineio* in maritum assumpsit, qui cum Matildi Augustæ contra Stephanum Regem studeret, & hoc castrum contra illum propugnaret, in navatæ operæ præmium Arundeliæ Comitis titulum à Matilde Augusta *Anglorum Domina* (hoc enim usa est titulo) accepit: filiusque ejus Rex Henricus II dedit totum *Rapum* de *Arundel* Guilielmo illi *tenendum de eo per servitium* LXXXIII *Militum, & dimid.* Ejusque filio Guilielmo Rex Richardus Primus *concessit* hujusmodi verbis *castellum de Arundel cum toto Honore de Arundell, & tertium denarium de Placitis de Sussex, unde Comes est.* Cumque post quintum hujus cognominis Comitem soboles mascula defecisset, altera sororem & hæredum Hugonis Comitis quinti nupsit Iohanni *Fitz-Alan* Domino de *Clun*, cujus pronepos Richardus *quod sesitus de Castro, Honore, & Dominio de Arundell in Dominico suo ut de feodo, ratione possessionis suæ eorundem Castri, Honoris, & Dominii, absque ulla alia ratione, vel creatione in Comitem, fuit Comes Arundell & nomen, statum, & honorem Comitis Arundell, &c. pacifice habuit*, ut constat ex sententia lata in Parlamento pro Ioanne *Fitz-Alan* vendicante Castrum & titulum Arundelliæ contra Ioannem *Mowbray Ducem Norfolciæ rectum per matrem hæredem arctissimo gradu.* Vnde colligitur *nomen, statum, & dignitatem Comitis adnexam esse castro, Honori, & Dominio de Arundell*, ut videre est in Rotulis Parlamentariis Anni XXVII, Henrici Sexti, ex quibus hæc verbatim descripsi. Ex his *Fitz-Alanis* undecimum Comitem tempora nostra viderunt, cui sine mascula prole defuncto ejus ex filia nepos Philippus Howardus successit, qui cum injurias & difficultates exsorbere nesciret, invidorum artibus in plagas incidit, & in extremum salutis discrimen adductus, expiravit. Thomas autem filius juvenis honoratissi-

* Aliis de *Albineto.* & de *Albiniaco.*

Comites Arundeliæ, qui etiam Sussexiæ.

Anglorum Domina.

Vide Comites Sussexiæ.

Chartæ antiquæ x. m. 29.

Parl. 11. H. 6.

SUth-reiæ ad Austrum longo tractu subtenditur, quæ etiam olim Regnorum sedes *Suthsexia*, Saxonice ðuð-ræx, hodie *Sussex*, id est, *Australium Saxonum regio*, composito ab Australi situ, & Saxonibus vocabulo, qui in Heptarchia secundum regnum hic constituerunt. Oceano Britannico tota ad Meridiem longior, quam latior recto quasi littore incumbit, sed raris stationibus, quod mare sit brevibus atrox, ideoque fluctuosum, littusque ipsum scopulosum. Maritimus regionis tractus colles viridantes sublime elatos habet, *Downes* vocant, qui cum ex creta pingui constent, fruges affatim profundunt. Medius tractus pratis, pascuis, arvis, lucis distinctus admodum est spectabilis. Citerior, & Borealis sylvarum opacitate amœnissimus, uti olim universa hæc regio, quæ sylvis invia fuerat. *Andradswald* enim sylva, Britannice *Coid Andred*, ab urbe proximo Anderida nominata, hoc tractu CXX mill. pass. longitudine, XXX latitudine occupavit, Sigeberti Occidentalium Saxonum regis fato memorabilis, qui solio deturbatus à subulco in hac confossus occubuit. Fluviolos habet plurimos, sed qui è Septentrionali agri limite effusi, cum statim Oceanum petant, navigiis onerariis subvehendis sunt impares. Ferri venis passim fœcunda est, ad quod excoquendum undique fornaces, magna vis lignorum quotannis absumpta, torrentes multis in locis corrivati, & prata plurima in lacus, & aquas redacta, ut molas suo impetu rotent, quæ malleis ferrum tundentes omnem viciniam noctes diesque personant. Sed quod conflatur ferrum non ejusdem ubique bonitatis, in universum tamen minus tenax quam Hispanicum, sive id sit ex natura, sive tinctura: in commodum tamen Metallicis, qui magnam vim tormentorum majorum, & alia inde conficiunt, non parvum cedit; an vero Reipublicæ, in dubio est, verum insequens ætas certius dixerit. Nec vitriariorum officinæ desunt, sed vitrum itidem, sive sit ex materia, sive ex coctione, minus purum, & translucidum, & tantum plebejis in usu.

Downes.

Anderida sylva.

Ferrum.

Vitrum.

Dividitur hæc regio universa politica partitione in sex partes, quas peculiari vocabulo vocant *Rapos*, scilicet de *Chichester, Arundel, Brembre, Lewes, Pevensey, & Hastings*, quarum unaquæque (præter suas Centurias) suum habet castrum, flumen, & saltum. Verum cum harum limites, quibus circumscribuntur, mihi minus sint comperti, ego ab Occasu in Ortum littus legere constitui. Interiora enim viculis aspersa nihil fere memorabile habent. In ipso Southantoniensis agri & hujus confinio *Bosenham*, vulgo *Boseham* sedet, sylvis, & mari circundatum, *ubi*, ut inquit Beda, *Dicul Scotus monachus monasteriolum habuit permodicum, & quinque aut sex fratres paupere vita Domino famulantes*, quod longo post tempore in Haroldi Regis secessum fuit conversum. E quo ille, cum sui colligendi causa in Oceanum navicula excurreret, adverso vento in Galliam abreptus detinebatur, quousque Guilielmo Normanno Angliæ regnum jurejurando, post Edwardi Confessoris mortem firmavisset: quo facto & sibi exitium & Angliæ excidium illico attraxit. Quam subdola Amphibolia versutus ille syllabarum auceps Godwinus Cantii Comes Haroldi pater hunc locum aucupatus fuerit, & literarum tendiculis Archiepiscopum deluserit, Gualterus Mapæus, qui non multis post annis vixit, è suo de Nugis Curialium libro suis ipsius verbis tibi dicet, *Boseham sub Cecestria vidit Godwinus & affectavit, & multo stipatus agmine magnatum, subridens, & ludens Cantuariensi Archiepiscopo, cujus tunc erat vicus, ait, Domine da mihi * Boseam. Archiepiscopus autem admirans quid sibi quæstione petiit, ego, ait, do tibi Boseam. At ille continuo, cum illa manu militum ad ejus procidit, ut procuraverat, pedes, & deosculans eos, cum multa gratiarum actione recessit ad Boseham, & violenta dominatione retinuit, & cum testimonio suorum Donatorem laudavit Archiepiscopum coram Rege, posseditque pacifice.* Postea ut legimus in *Testæ Nevilli* (quæ fuit Terrarum Inquisitio facta tempore Regis Ioannis) *VVillielmus Rex qui venit ad Conquæstum Angliæ, dedit hoc Guilielmo filio Aucheri & hæredibus suis ad feodum firmum, reddendo inde annuatim ad Scaccarium* 40 *libras argenti arsas & ponderatas, & postea Guilielmus Marescallus tenuit illud hæreditarie.*

Boseham.

Amphibolia Comitis Godwini.

Ad Basium quod olim in homagiis præstandis adhibitum, forsitan allusum.

Chichester Britannice *Caercei*, Saxonice Cirranceaster, Latine *Cicestria*, interius ad eundem sinum campestri planitie jacet. Urbs ampla satis, & mœnibus circundata, à Cissa Saxone secundo hujus provinciæ Regulo constructa, & denominata. *Cissam-ceaster* enim nihil aliud est, quam *Vrbs Cissæ*, cujus pater Ælla primus Saxonum hic regnum constituit. Obscurioris tamen ante Normannicum imperium famæ, & tantum Monasterio S. Petri, & Sanctimonialium ædicula notum: Guilielmo autem Primo regnante, (ut in Angliæ Notitia legitur) *centum in hac fuerunt Hagæ, fuitque ista civitas in manu Comitis * Rogeri, & sunt in iisdem mansuris sexaginta domus plusquam antea fuerant: reddebat* XV *libras Regi, &* X *Comiti.* Postea cum regnante Guilielmo Primo sancitum fuisset, ut Episcopales sedes ex oppidulis in celebriora loca transferrentur, cathedra Episcopali, quæ in *Selsey* prius fuerat, nobilitata florere cœpit; paucisque interjectis annis Radulphus Episcopus ecclesiam construxit, nec dum supremam manum imposuerat, cum fortuito incendio deflagravit. Ejus tamen opera, & Regis Henrici Primi munificentia denuo surrexit, jamque præter Episcopum, etiam Decanum, Præcentorem, Cancellarium, Thesaurarium, duos Archidiaconos, & triginta Præbendarios habet. Eodemque tempore ipsa urbs florere cœpit, florentissimaque fuisset, nisi portus sit paulo remotior, & minus commodus, quem tamen novo fodiendo canali commodiorem efficere jam cives conantur. Forma vero orbiculari mœnibus inclusa, & ab omni parte nisi à Septentrione *Lavant* rivulo alluitur, portis patet quatuor ad quatuor mundi plagas, à quibus plateæ recta ducunt & se decussant in medio

* de Monte Gomerico.

560

121-14

2010 Ministerio de Cultura